

mus, (cujus tamen Commentarii à *Bellarmino* aliisque *Hervæo* potius tribuuntur) *Thomas Aquinas*. Ex recentiori ætate *Alphonsus Salmeron*, *Lucas Osiander*, *Eilhardus Lubinus*, *Theodorus Beza*, *Benedictus Justinianus*, *Johannes Qvistorius*, *Cornelius à Lapide*, *Gvilielmus Estius*, *Fridericus Balduinus*, *Johannes Crellius*, *Ægidius Hunnius*, *Hugo Grotius*, *Abrahamus Calovius*, *Sebastianus Schmidius*; quem Virum in Exegeticis plane incomparabilem de plurimis Sacrarum literarum libris immortaliter meritum, nuper Ecclesiæ nostræ ereptum esse, acerbissimis omnes lachrymis merito dolemus.

CAPUT II.

Versionem & paraphrasin complectitur, adjectis observationibus.

§. I.

vers. i. **P**Aulus Apostolus & nunc in custodia ob fidei Christiana professionem propagationemque detentus, & *Timotheus*, ejusdem fidei, functionis, calamitatumque consors, *Philemoni dilecto*, & in promovendo Evangelio cooperario nostro.

Plane dicendum est, singula prope verba ad pondus commendationi adjiciendum comparata esse. *Paulus*, nempe Apostolus, tam præclare de Vobis ad Christum convertendis meritis; *vinculus*, quia vestram salutem mea potiore habui: Si enim tacuissem, mansissem extra vincula; *Timotheus*, iisdem mecum laboribus defunctus & à Vobis ob exquisitam in vos curam impensissime amatus; *Philemoni dilecto*, qui nec ex amore reciproco quicquam negare mihi poteris; & *cooperario*, qui adeo ex officio, in alios jam sæpe exercito, novisti, quomodo cum hominibus lapsis sit agendum. Omnia hæc ad favorem emendicandum exime conducere nemo non videt. Quod *Hieronymus* circa vocem; ἀγαπητός dilectus, Φειλολογεῖ eandemque